

247
(7)

NOBILIUM QUÆSTIONUM
ETHICARUM DECAS VII.

De
LIBERALITATE
ET MAGNIFICENTIA,

*Quam Deo Opt. Max. annuente in illustri
Academia VVittebergensi*

PRÆSIDE
CLARISSIMO VIRO,

M. HENRICO VELSTENIO,

Philos. Moralis Prof. Publ.

examinandam proponit

HENRICUS à BARDLEBEN

Magdæburgensis Saxo.

Ad diem 25. August. hora locoq̃ consueto.

Ecclesiast. 40. v. 7.

*Benignitas est instar horti fertilis, &
benignus oculus benedicetur.*



WITTEBERGÆ,
Typis Johan. Gormanni, Anno 1610.



CLARISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS, DOCTISSIMIS, ATQVE HV-
manissimis Viris,

Dn. GEORGIO MYLIO,
J. U. D. GEORGII b. m. Magni il-
lius Theologi filio.

Dn. M. IOHANNI ÆSCHAR-
DO, Gymnasi apud Hallenses Rectori
fidelissimo,

Dn. M. IOHANNI LIPPPIO,
Argentinensi Alsato,

*Dominis fautoribus, promotoribus, preceptoribus,
ac amicis suis omni observantiâ, in
perpetuum colendis,*

Hasce de Liberalitate & Magnificen-
tia, quæstiones

offert

Henricus à Bardleben,

Respondens.



QUÆSTIO I.

Quid liberalitas & magnificentia, quodnam
utriusq; obiectum & quæ extrema?

Sic fortitudo & temperantia fuit: nunc super-
est, ut vestigijs Aristotelicis insistentes, è Pe-
ripatu nostro Liberalitatem ac magnifi-
centiam educamus. quâ utraq; nihil huma-
na natura accommodatius, ut ait Orato-
rum Dux lib. 1. offic. quâ aluntur Ecclesia,
Civitates, & Politia constituuntur, & mutua benevolentia
conciliatur & reparatur. Dignissima ergo hæc utraq; virtus
est, de qua hanc presentem disputationem instituamus: in qua
& de Eleemosynis, bonis Ecclesiasticis & hospitalitate
aliquid adjecturi sumus.

Liberalitas est mediocritas in dandis & accipien-
dis pecunijs occupata. Arist. 4. ad Nicom. cap. 1. Magistra-
men in dandis, quàm accipiendis, quia 1. honestius est dare,
quàm accipere. 2. quia etiam difficilius: Circa difficilia verò
omnis virtus quàm maximè occupatur. Aristot. l. 2. cap. 3.
Obiectum liberalitatis sunt res æquales, item omnes posses-
siones, quæ pecuniâ estimantur, & quorum aliquis usus est in
hac vita. Arist. l. d. Finis liberalitatis est sola honestas. Qui
ergo in alios beneficium confert, ut vel majora reportet, vel
favorem sibi conciliet, aut se ostentet, liberalis dicendus non
est. Arist. l. d. Extrema hujus sunt: Avaritia, & prodigali-
tas. Prodigalitas est vitium opes temerè profundens: à Phi-
losopho

Philosopho vocatur à *σωφροσύνη* lib. 4. ad Nicom. cap. 3. Prodigalitas aut est simplex aut est mixta. Simplex est, quando quis in dando modum excedit, nihil vicissim ab alio accipere volens. Et hæc præcipuè cadit in juvenes. Mixta est, quâ quis non solum omnia consumit, sed etiam aliorum opes, ad largiendum alijs, suffuratur: Vt sunt Sacrilegi, & latrones. Talis fuit Hircanus qui sepulchrum Davidis aperiens, tria millia talenta pecuniarum inde protulit. Avaritia est Vitium, in dando deficiens, in accipiendo excedens. Hæc propriè cadit in senes, hi enim quò minus habent itineris, eò plus requirunt viatici. Avarorum Philosophus tria constituit genera. 1. quidam omninò nihil dant, nihil accipiunt, vulgò tenaces & aridi dicti: 2. quidam in accipiendo tantum modum excedunt, & per fas, nefasq; congerunt, interim etiam dant alijs: Vt infames, feneratores, Usurarij, crumenifeca. 3. quidam in utroq; peccant, atque ad eò etiam in dando deficiunt, in accipiendo verò modum excedunt. Aristot. 4. Eth. ad Nic. cap. 1. Et hæc de Liberalitate.

Magnificencia est virtus mediocritatem servans in sumptibus magnis rectè faciendis Arist. 4. Ethic. cap. 2. Sic verè fuit Magnificus Alexander Macedo, qui Aristotelem iuvit in conscribenda historia animalium, maximis sumptibus. Objectum magnificentie, magni sumptus, in quibus decorum observatur: Unde Philosophus 4. Ethic. 2. Magnificentiam, à Liberalitate tribus modis distinguit. 1. Objecti inæqualitate. Liberalitas versatur circa mediocres expensas, Magnificentia verò in magnis sumptibus faciendis occupatur. 2. Officio. Liberalitatis est, dare, Magnificentie verò, sumptus facere. 3. Consecutione. Omnis Magnificus est Liberalis, non verò omnis Liberalis est Magnificus. Extrema Magnificentie,

tia sunt: *luxus, in magnis erogandis beneficijs modum excedens, sumptusq; conferens in res leves & ineptas; Et impo-
nentes, indecora & intempestiva in magnis sumptibus
fac. endis parsimonia.*

QUÆSTIO II.

An Liberales, qui Divitias suas in scor-
ta profundunt?

Negatur hisce rationibus. 1. *quia nec honestus, nec legitimus modus est, nec liberalitati conveniens sic bona distribuere.* 2. *quia hoc modo, virtus virtuti repugnaret, dum Liberalitas committeret, quod Temperantia prohibuisset.* 3. *quia virtus cum virtute concordat, eiq; alimentum præbet, uti videre est in Magnificentia & Liberalitate, & modestia ac mansuetudine, non verò cum vitio. Martyr.*

QUÆSTIO III.

An Tyranni, & principes, propter nimias
largitiones prodigi dici queant?

Placet negativa Aristoteli, l. d. *quòd tanta sint Regum & principum opes, & facultates, ut dando, & largiendo non facile ad egestatem redigi queant, & semper videantur adhuc plura retinere, quàm alijs donare.* Nos hanc Aristotelis negativam *is em tē wold* acceptandam censemus. Si enim *historiarum monumenta excusserimus, præstò erunt exempla etiam opulentissimorum imperatorum, qui prodigalitate suà integra regna perdididerunt, ita ut tandem coacti fuerint, as alienum contrahere.* Joh. Magirus hunc in locum pag. 325. *Exemplo esse potest. M. Antonius Imperator, de quo Victor Aurelius in Epitome.*

QUÆSTIO IV.

An statim sit Magnificus dicendus, qui magnos sumptus facit?

Videtur quidem sic innuere origo vocis: *Sed res spectanda, non verba pendenda. Sanè si omnes isti Magnifici dicendi essent, infinitus hodiè esset eorum numerus, cum tamen magnificentia vera rara in terra avis. Si tamen sumptus proportionem habeant cum persona & operibus, in qua impenduntur, faciens hos meritò magnifici nomen mereatur. Reprehendendus idcirco Tiberius, quod cuidam potatori, qui ceteros potando superarat, totamque vini amphoram propinarat, dimidiam imperij partem obtulerit.*

QUÆSTIO V.

An Bellarminus Eleemosynas rectè distribuat in septem corporales & totidem spirituales?

Bellarminus l. 3. de Eleemos. cap. 2. Eleemosynam in corporalem & spirituales dispescit. Illius facit septem species, *pro varietate miseriae & egestatis corporalis, ut sunt: Fames, sitis, nuditas, carentia domus, morbus, captivitas, & deniq; carentia sepulturæ. Hujus totidem septem genera recenset: Animi mala depelluntur, nempe: Oratione pro peccatore, cōdonatione injuriæ, correptione fraternâ, institutione, consilio, consolatione, & tolerantia infirmitatum. Nos negamus Eleemosynam ita rectè distribui, siue sumatur in propria & stricta, siue in lata significatione: Si enim in propria significatione, tum omnes ista dictæ species non erunt hujus loci. Si verò in lata & cum ampliacione, sanè Eleemosyna longe plu-*

gè plurà virtutis officia complectitur, quàm hìc à Bellarmino recitantur. Verbi gratià, protegere viduas, dotare virgines indotatas, adimere captivos, dissolvere pauperum debita, dirigere cæcos, sanare agrotos &c. Videatur Cunradus Vorstius, in hunc Bellarmini locum.

QVÆSTIO VI.

An in eroganda Eleemosyna debeamus personarum respectum & delectum admittere?

Omniò hunc admittimus, prout tres hominum egentium sunt differentia. Prima est ipsius hominis in se considerati, ad quem referuntur I. domestici ipsius, quibus qui non providet fidem abnegavit, & est infideli deterior. I. Tim. 5, v. 8. 2. Qui sunt ipsi sanguinis cognatione cõjuncti, velut pater & mater, &c. Horum domesticorum curam abjicere, & Eleemosynam nostram in peregrinos & ignotos conferre, nisi ita faciendi justa, & necessaria causa subsint, peccatum est, vel in ipsam naturam legem, satis grave, praesertim, cum ipse Apostolus jubeat I. ad Tim. 5, v. 4. ἀποδοῦναι τοῖς ἐγγύτοις. Benè & Ecclesiastes c. 3. Fili inquit, succurrit o patri senescenti. Et Solon infames voluit esse eos, qui parentes non alerēt. Laërt. in vita Solonis. Et rectè Seneca: Etiam si, inquit, filius patri benefaciat, non benefacit, sed benefactum rependit: Qui enim dat aliquid, si prior accipit, non obligat, sed reddit. Altera differentia est hominum, quorum quidam domestici sunt fidei, quidam non sunt. Isti sunt hisce anteponendi, secundum regulam Apostoli Gal. 6, v. 10. sumus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei. Tertia differentia est, quod alij pauperes sint nostrates nostræ nationis & gentis: alij verò sunt peregrini.

ni.

ni. Quamquam igitur omnibus hominibus prodesse & commodare debeamus: illi tamen, qui vicinitate & habitatione nos propius attingunt, sunt praeter ceteris respiciendi, & relevandi. Id quod ipse Deus inculcat, Deut. 15, v. 7. Si fuerit apud te egenus quispiam ex fratribus tuis intra aliquam a portis tuis, ne obfirmato axillum tuum, nec occludito manum tuam adversus eum. Hos ubi stipe nostram sublevavimus, tum demum concessum, & fas nobis est, etiam alijs pro rerum nostrarum facultate succurrere. Guiliel. Perkins lib. 3. Casus conc. p. 503.

QUAESTIO VII.

An omne, quod quivis ultra id, quod naturae & vitae conditioni necessario inservit, possidet, convertendum sit in Eleemolynam, & pauperibus distribuendum?

Bellarminus l. d. c. 7. & 8. statuit 1. Divites praecise, divinam lege teneri ad superfluas opes suas pauperibus erogandas, quae videlicet tam naturae, quam personae, seu statui, & conditioni illorum superfluae sunt, hoc est, sine quibus & salus natura tum ipsorum, tum familiae sustentatur & personae status ac dignitas conservari possit. 2. Non teneri Divites res necessarias erogare, nec sine vitio posse, nisi statum mutare velint, hoc est, saeculo renunciare, & omnia deserere, juxta illud Christi consilium, Matth. 19. Si vis perfectus esse, vende omnia.

Nos utrumque hoc Bellarmini effatum non simpliciter admittimus. Non prius: quia quidem divitibus, & opulentis incumbit, eò liberalius Eleemosynam largiri, quò praeter

præter & ultra necessitatem pluribus rebus abundant: ita ta-
men, ut omnia distribuere non teneantur, sed ut eis liceat par-
tem ex eo, quod sibi redundat, in publicum Ecclesie, & Rei-
publ. usum reservare. Non posterius: Quia in summa ina-
pia, & indigentia casu, non tantum superflua, sed & necessa-
ria bona danda sunt prout circumstantia postulaverint. Pro-
verb. 5. v. 16. & 17. Luc. 3. ver. 11. Argumento nobis esse pos-
sunt Sanctorum exempla, præsertim eorum, qui, quum ipsi pau-
peres aut inopes essent, tamen alacriter sua cum alijs commu-
nicasse, sive erogasse, dicuntur. 1. Reg. 17. 2. Reg. 4. Luc. 2.
Act. 2. 4. & 20. 2. Cor. 8. & 9. Ad summam: Charitas u-
nica, eaq; optima Eleemosynæ largiendæ magistra &
moderatrix esse debet, ut ubi illo modo auditur, non
admodum necessum sit, gradus, & momenta illa, vel su-
perfluorum, vel necessariorum bonorum scrupulosè di-
stinguere. Guiliel. Perkin. l. d. p. 565. Cunradus Vorstius
in hunc Bellarmini locum, pag. 6. 77.

QUÆSTIO IIX.

An ex rebus malè partis legitimè Elec-
mosynæ fieri possint?

Affirmativa Thomæ Aquinatis est in secunda se-
cundæ quæst. 66. a. 7. ubi ait: *Ex abundantia possessionis al-
terius, egenorum necessitati succurrere, non est furtum.* Bellarminus l. d. cap. 9. hoc ad quæsitum, distinctè respon-
det. Negat quidem posse dari Eleemosynam cum inju-
stitia tantum est in acquirente, puta, qui furto, vel iniquo
scenore rem paravit. Nempe, quia de substantia nostra, non
aliena liberales esse debemus. Prov. 3. Esa. 58. Tob. 4. Af-
firmat tamen, posse ac debere Eleemosynam ex ijs dari,
cùm lucrum injustum est, tam ex parte dantis, quàm ac-
cipien-

B

cipien-

cipientis ut in simonia aut proditione, aut iudicij subversione &c. Sed hanc ait, non tam Eleemosynam esse, quam restitutionem, imò affirmat etiam, posse ex ijs dari ubi lucrum non tam injustum est, quam turpe: quale est lenonum, meretricum, histrionum &c.

Pro quæstionis determinatione notandum. 1. Non esse facienda mala, ut inde eveniant bona. Rom. 3, v. 8. & non modo bona esse facienda, sed & benè, id est, eo modo, & ratione, quem Dominus ipse suo verbo prescribit, & probat. Quemadmodum igitur non sunt facienda adulteria, ut filios generemus: ita nec furtiva facienda voluntate pascendi pauperes sanctos. Augustinus lib. 5. in Iulia. Et benè Gregorius ad Synagrium Episcopum: Non est putanda Eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur. 2. In malè partis, simpliciter urgendam esse restitutionem aut si hæc fortè haberi non poterit, omnimodam inter pauperes erogationem. Exemplum suppetit nobis in Zachæo, principe isto publicanorum, qui dimidium bonorum suorum, dat pauperibus; si quis verò, aliquem defraudaverit, secundum legem, de restituendis quatuor ovibus pro una. Exod. 22. reddit quadruplum. Luc. 19, v. 8. Videatur Matthias Flac. Illyr. in Gloss. comp. & Iohan. V Vinckelmannus hunc in locum. Lambertus Danæus in Ethic. Christianam. lib. 2. cap. 15. pag. 233. Petrus Martyr classe 2. Loc. com. cap. 2. pag. 356.

QUÆSTIO IX.

Utrum bona, sacris usibus destinata, possint in civiles usus transferri?

Duo

Duo hic præsupponimus. 1. Distinguendum est inter bona Ecclesiastica Pontificiorum, quæ nulli aliàs usui sunt & ad spectandum saltem producuntur, & bona Ecclesiastica ante 70, vel 100. annos à majoribus nostris orthodoxis, divino cultui consecrata. 2. Distinguendum inter usus civiles honestos, quæ gloriam DEI, Ecclesie & Reipubl. salutem spectant, & inter abusus civiles. Prioris generis, bona Ecclesiastica omninò in prioris generis usus civiles conferri possunt, idque ob sequentes rationes. 1. Quia injustè fuerunt acquisita, dum Papa, tot nationes, tot gentes decepit, exhaustit, opibusque spoliavit, maloque titulo tanta bona sibi acquisivit. 2. Legitimum est, ut qui antea diabolo servierunt, in honestiores transducantur usus. Mirum igitur non est, ait B. Lutherus Tom. 3. ut opes nostras amissas dolo Papæ, iterum arripiamus, quod illi homines nequam furati sunt, nos in res honestas transferamus. Transferantur igitur hæc bona, quæ nil D E U M neque homines juvant, sed tantum spectanda proponuntur, in usus sive Ecclesiasticos, sive Civiles, unde Gloria DEI, & salus Patriæ spectetur.

QUÆSTIO X.

An Iael Iud. 4, ver. 21. jura hospitalia violando, rectè fecerit?

Tandem, coronidis loco, & hanc subjungimus questionem, quoniam & Liberalitas hospitalitatem suo complexu comprehendere videtur. Et sanè, jura hospitalia, per se, ac sua natura, & sacra, & inviolata esse debèt, adeò, ut ipse Lothus filias suas contumelijs, petulantium Sodomitarum exponere voluerit, ne illis, qui ad se diverterant, injuriã facerent. Nec ab eius

exemplo discessit senex ille, qui Levitam cum uxore, hospites ad se receperat, Jud c.19. Hinc & ipsa gentes, Jovē hospitalem coluerunt, natura lumine agnoscentes, peregrinos, & hospites singulariter Deo cura esse. Verum enim vero licet lege universalis ac ordinaria, jura hospiti debeant inviolata servari; nulla tamen jura, nullæq; necessitudines tam honestæ, atq; justæ sunt, quin si Deus aliter jubeat, solvendæ sint, quandoquidem ista omnia, tantisper valere debent, quamdiu voluntati divinæ probantur. Proinde licet factum hoc laelis Sisara Principem exercitus Jabin Regis Chanaan in suis adibus absconditum, clavo temporibus infixum, perimentis, primo intuitu, ingentis perfidiae speciem habeat, tamen a deo non peccavit, ut DEUS hoc factum verè heroicum carmine sacro, celebrari curarit. Ut enim, qui decreto totius imperij proscripti sunt, seu banniti, ut vocant, ij sunt omnium violentiæ expositi: neque quisquam amplius fœderibus, aut juramentis tenetur, ut defensionem eorum suscipiat: imò omnibus mandatur, ut tales prosriptos vel capiant, vel trucident. Ita etiam Sisara, divinitus fuit per Prophetiam Debora bannitus, & declaratus, hastis populi DEI, & exitio destinatus, jam nulla fide obstricta fuit Jabel Sisara, sed rectè, & laudabiliter fecit, quod manifestum & publicum hostem populi DEI trucidavit.

Petrus Martyr. Classe 2. Locor. Com. c.12.

pag 353. Osiander, in hunc locum.

judic. 4. cap.



COROL.



COROLLARIA.

I.
An præceptum de dandis Eleemosynis ad quartum decalogi præceptum, in quo de parentibus honorandis agitur, referendum sit, an verò ad quintum, & ad septimum, ubi de occidendo deq; non furando agitur. *Prius affirmat Bellarminus lib. I. de Eleemos. cap. 6. Nos posterius.*

II.

An rectè fecerit Abigail, quod nescio marito suo, Davidi donum in suam, & suorum hominum sustentationem, ac sublevationem adduxerit, 1. Sam. 25, v. 27. *Affirmamus.*

III.

An aliquid sit discriminis inter illa, quæ in Verbi ministros stipendiarios & pauperes conferuntur? *Disting.*

IV.

An quando solennia nuptiarum celebrantur, ea, quæ in mimos, ludiones & histriones

B 3

pro-

profunduntur, rectius pauperibus erogentur?
*ita statuimus cum recessibus Comitiorum Augu-
stanorum, Anno 30.*

V.

Quomodo intelligendum illud Salvatoris,
Luc. 16, ver. 9. Facite vobis amicos ex mammo-
na injusto, ut cum defeceritis, recipiant
vos in aeterna tabernacula?


F I N I S.




X 26 77 027

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

LIUM QUÆSTIONUM
HICARUM DECAS VII.

De
ERALITATE

MAGNIFICENTIA,
*Deo Opt. Max. annuente in illustri
Academia VVittebergensi*

PRÆSIDE
CLARISSIMO VIRO,
HENRICO VELSTENIO,
Philos. Moralis Prof. Publ.

examinandam proponit
ERICUS à BARDLEBEN
Magdæburgensis Saxo.
die 25. August. hora locoq̃ consueto.

Ecclesiast. 40. v. 7.
*ignitas est instar horti fertilis, &
benignus oculus benedicetur.*



WITTEBERGÆ,
apud Joh. Gormanni, Anno 1610.



247
(7)

